



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Licet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

quæ in capite fieri solet ex antiquissima traditione. Quamuis Orientales tali cæremonia in consecratione suorum Episcoporum vti non soleant. Hoc intellecto , mandat Innoc. III. omissam cæremoniā suppleri , & dictum Episcopum ab Episcopo Albanensi , assistentibus ei duobus alijs Episcopis ( sicuti mos Ecclesiasticus requirit,) in manibus & capite sacro chrismate inungī.

NOTANDVM Vn. Si cæremoniae, etiam accidentales, seu ad substantiam Sacramenti non pertinente, omissæ fuerunt, postea suppleri debent. Vide quæ dixi lib. 5. Theol. moral. tr. 2. c. 8. num. 10.

### S. Scire.

**D**Vplex est vñctio, Vna interior & inuisibilis, per Spiritum sanctum. Altera exterior & visibilis, quæ est signum interioris. Ipsa autem interior vñctio non tantum est significatum, sed etiam res Sacramenti. Ad exteriorem vñctionem benedicitur oleum, quod duplex est, Catechumenorum, & Infirmorum. Conficitur etiam chrisma ex oleo & balsamo, idque mystica ratione, quia per oleum nitor conscientiæ, per balsamum odor bonæ famæ significatur. Et hoc chrismate vngitur Episcopus in capite, & in manibus: in manibus quidem ad significandam potestatem consecrandi & benedicendi, in capite vero ad significandam supremam Episcopalis ordinis potestatem. Presbyter autem cum consecratur, in manibus vngitur oleo benedicto simplici, vti Hostiensis hic docet, n. 3. & Gl. in c. præterea i. 2. d. 23. Videri etiam potest Durandus lib. 1. rationalis, cap. 8.

### S. Vnde.

**R**Eges quoque, Principes populi, inungi soient; aliter tamen, quam Episcopi, seu primi Sacerdotes: Nam hi in capite vnguntur chrismate; Reges autem in brachio oleo simplici.

### S. Quia verò.

**Q**Via Christus sanguinis sui effusione. Delibus omnibus præmeruit, vt accepta Spiritus sancti gratia, quodammodo Sacerdotes sint, ex corde puro orationum sacrificia ipsi offerentes, secundum illud S. Petri epist. i. c. 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium;* ideo in nouo testamento omnes Christiani vnguntur, bis ante baptismum oleo benedicto, videlicet in pectore, & in scapulis, & bis post baptismum, chrismate sancto, videlicet in vertice; & postea in fronte, cum confirmantur.

### S. Per frontis.

**C**Hrismatiōne frontis manus impositio designatur, quæ alio nomine Confirmationē dicitur; quia per eam Spiritus sancti robur & augmentum confertur. Qyamobrem hanc chrismatiōnem solus Episcopus seu summus Sacerdos conferre potest, vti ex Actis Apostolorum, cap. 8. colligimus, alia autem vñctiones ab alijs etiam simplicibus Sacerdotibus ministrantur.

### S. Vngitur.

**S**ed & altare, ecclesia, atque calices, cum consecrantur, inungi soient, secundum morem ecclesiasticum, quem ex S. Sylvestro Papa accepimus, qui altare lapideum consecrans illud chrismate vngebat. Neque propterea iudaizat Ecclesia tales vñctiones adhibendo, sicuti imperiti aliqui obiecerunt. Nam Iudæi vñctiones per figuram, & significatiōnem gratiæ futuræ exercebant: Nos autem in veritate, & secundum significatiōnem gratiæ præsentis.

### S. Licet.

**R**Omanus Pontifex baculo pastorali non vtitur, sicuti alij Episcopi, & Prælati. Idque tum propter historiam, tum propter mysti-

mysticam rationem. Historiam refert Inno-  
centius lib. 1. de mysterijs Missæ, c. 62. Quia  
B. Petrus baculum suum misit Euchario pri-  
mo Treuirorum Episcopo, quem vna cum Va-  
lerio & Maximo ad predicandum Euange-  
lium definavit genti Teuthonica. Ei succedit  
in Episcopatu Maternus, qui per baculum S.  
Petri a mortefuerat suscitatus. Quem bacu-  
lum usque hodie cum magna veneracione ser-  
uat Ecclesia Treuirensis. Atque ideo, inquit

Durandus in rationali, lib. 3. c. 15. Papa in  
illa tantum diœcesi baculo vtitur. Mystica  
vero ratio est: Quia baculus pastoralis cur-  
vus est, ad significandum, quod is, qui bacu-  
lum à Superiori accepit ad regendum, ab eo  
dem inflecti, & exigente causa penitus re-  
moueri possit. Quod in Pontifice locum non  
habet, quia Superiorum in terris nullum ha-  
bet. Ita Gl. margin. hic, & Hostiensis hoc tit.  
in fine.

## TITVLVS XVI. DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

**A**gitur de ijs Sacramentis, quæ  
characterem impriment, & qui-  
dem ex proposito tantum, quo-  
rum administratio propria est  
Episcoporum, videlicet Confirmatione,  
& ordinatione: Quod ea nunquam  
iteranda sint; sed, si quippiam in eorum ad-  
ministracione omissum, id postea supplen-  
dum.

### CAPITVLUM I.

#### Pastoralis.

##### PARAPHRASIS.

Ex Innocentio III. duo quæsita sunt: I. V-  
trum Titius, qui intermissa manuum im-  
positione Subdiaconus ordinatus erat, in  
eo ordine administrare permittendus sit.  
Alterum. An Sacramentum Confirmationis  
iterari debeat in eo, qui per erro-  
rem oleo simplici, non chrismate vñctus  
fuit in fronte. Ad utrumque simul respon-  
det Pontifex: In talibus non esse iteran-  
dum aliquid, sed cautè supplendum, quod  
incautè fuerat prætermissum.

##### SVMMARIUM.

1. Ordinatus in Subdiaconum sine manu-  
um impositione, permittendus est mini-

strare, prius tamen supplendum, quod  
erat omissum, nihil autem iterandum.

2. Similiter in confirmato non chrismati,  
sed oleo inunctione.

**C**ontra priorem responsionem obijcitur  
primò c. Subdiaconus 15. d. 23. in quo  
habetur, quod Subdiaconus manus impositionem  
in sui ordinatione non accipiat. Ad  
id respondet hic Gl. ver. impositione. Quod  
Subdiaconus in ordinatione non accipiat  
manus impositionem consecratoriam, quæ  
ab Episcopo fit, dicente; *Accipe Spiritum  
sanctum, &c.* sed deprecatoriā tantum ma-  
nuum impositionem, iuxta c. 1. d. 69. &c.  
manus 74. causa 1. q. 1.

Altera responsio est Innocentij IV. Pon-  
tificis, qui super hoc c. testatur, textum esse  
corruptum, & legendum Diaconatum pro  
Subdiaconatu: Quare etiam Gl. marginalis  
fatetur, in duobus vetustioribus exempla-  
ribus legi Diaconatum.

Secundò obijcitur: Quod Pontifex non  
responderit ad factam interrogationem, num  
ille sine manuum impositione ordinatus mi-  
nistrale permittendus sit. Respondeo, cum  
Gl. Innocentio, & alijs. Implicitè respon-  
disse: Prius supplendum esse, quod erat o-  
missum, quam ministerare permittatur. Quod  
maxime verum est, si sequamur vetustio-  
rem

Xxx 2 rem